

versatur, quam qualitas passiva; sicut calor est qualitas activa; potentia autem cognoscitiva in quantum recipiunt species sunt passivæ; et tamen activitas caloris, quia solum versatur ad objecta materialia, et modo materiali, imperfectior est quam qualitas cognoscitiva, etiam sub ea ratione, quia perficitur intentionaliter ab objectis, quia etiam sub hac ratione elevatur supra qualitates materiales. Et similiter ratio corporis incorruptibilis est perfectior de se quam corpus corruptibile, potest tamen in ratione informandi, et perfectionis essendi corpus corruptibile esse perfectius, si sit animatum, quam corpus incorruptibile, quod non vivit.

IX. Ex qua doctrina intelligitur fundamentum D. Thomæ, et solvitur oppositum. Nam perpetuo D. Thomas sumit excellentiam charitatis ab objecto, quod attingit, quod est supra animam, et ex modo quo tale objectum comparatur ad potentiam; attingitur enim non secundum aliquem modum connotantem aliquid creatum, sicut fides attingit veritatem divinam connotando revelationem divinam factam in tempore; et spes attingit bonum divinum ut participat adeptionem sui creatam: nec charitas attingit Deum secundum aliquam rationem distantiam, sicut fides quæ est de non viso; spes de non habito, utraque de absentia, et distante; charitas autem de unito sibi per amorem. Ex hoc efficitur quod ex parte attingentia talis objecti charitas entitative reddatur perfectior quam fides, quia licet modus procedendi intellectus sit abstractior et perfectior, tamen attingentia objecti ubi completur specificatio actus perfectionem illum reddit entitative secundum suam determinatam rationem, quam potentia non respiciebat sic determinate, sed in generali, et in con-

fuso, et sic specificabatur ab objecto etiam in communi prout respicitur tali modo procedendi ut sic.

X. Et ideo D. Thomas 1 part. quæst. LXXXII, art. III, qui simpliciter posuit intellectum esse altiore potentiam voluntate, addit tamen, quod quando res in qua est bonum est nobilior ipsa anima, tunc per comparationem ad talem rem voluntas est altior intellectu; quando vero res in qua est bonum est intra animam, tunc etiam comparatione ad talem rem, intellectus est altior voluntate. Ergo sentit D. Thomas, quod ita est potentia perfectior intellectus, quam voluntas ex parte modi procedendi, quod tamen ex parte attingentia objecti ipsemet intellectus in suis actibus, et habitibus determinatis compatiatur inferioritatem physicam ad aliquos actus, et habitus voluntatis.

XI. Quod si instes: Quia etiam in patria charitas erit excellentior lumine gloriae, quia versatur circa objectum superius ipsa anima, et sic amor erit perfectior cognitione, negatur consequentia, quia Deus licet sit supra animam absolute, et entitative, tamen in esse intelligibili non est supra animam glorificatam, si quidem est ejus objectum proportionatum. Instabis ex Ferrariensi ubi supra: Quod est pessimum opponitur optimo; sed odium Dei, quod opponitur charitati est pessimum peccatorum: ergo charitas etiam in patria est optimum. Item: Quia ordo Seraphin est supremus etiam in patria, et denominatur a suprema perfectione; sed denominantur a charitate, in qua excellit iste ordo: ergo charitas est suprema perfectio etiam in patria. Respondetur, quod odium est pessimum in genere peccati, et in genere moris, unde secundum D. Thomam concluditur, quod in tali genere charitas est etiam optimum ut supposuimus in princi-

pio; lumen autem gloriae non respicit voluntatem ut liberam in amore beatifico, et consequenter neque ut moralem proprie loquendo: in genere autem physico peior est æterna privatio visionis gloriae, quam odium Dei, quia est privatio perfectioris entis.

XII. Ad illud de ordine Seraphim respondetur, quod secundum S. Thomam 1 parte, quæst. CVIII, articulo v ad quintum, ordo Seraphinorum non denominatur solum a charitate, sed a charitatis excessu, quod importat nomen ardoris, seu incendii; iste autem excessus non comparatur ad ipsam beatitudinem Seraphinorum, quasi amor Seraphim sit excellentior ipsa visione gloriae, quam habent, sed dicitur suprema perfectio iste excessus amoris, vel propter excellentiam ejus, quam habuerunt in via, vel propter excellentiam perfectionis, quam modo possunt communicare aliis. Ordines enim Angelorum distinguuntur secundum ministeria, quæ exercent in communicando perfectiones. Suprema autem perfectio communicabilis est amor charitatis. Unde quando dicit D. Thomas, quod ordo Cherubim qui nominatur a plenitudine scientiæ est inferior quam Seraphim, qui nominatur a charitate, eo quod dilectio superiorum objectorum præeminet cognitioni, intelligitur de cognitione extra Verbum, in hac enim potior est dilectio, quam cognitio, sicque plenitudo scientiæ, a qua denominatur Cherubim est plenitudo scientiæ extra Verbum, quia hæc est participabilis aliis, et huic præponderat charitas. Plenitudo autem scientiæ in Verbo est potior charitate, sed in hac excedunt Seraphim, quia plenius vident Deum, quam Cherubim.

XIII. Ad argumentum factum a principio constat ex dictis. Et est ad-

vertendum, quod esse aliquid simpliciter tale, dicitur dupliciter, vel quia absolute est tale, id est, sine addito; vel quia omnibus modis est tale, ut tradit S. Thomas III parte, quæstione quinquagesima, articulo quinto. Sunt ergo aliqua genera quæ simpliciter, id est, sine addito sunt perfectiora aliis generibus, non tamen omnibus modis: alia vero sunt simpliciter perfectiora aliis generibus omnibus modis. Exemplum primi. Corpus incorruptibile est genus perfectius corpore corruptibili, quantum est ex modo corporeitatis, et informationis materiæ, quæ principaliter consideratur in illa ratione generica, non tamen est omnibus modis perfectius, quia potest corruptibile corpus informari ab aliqua forma modo corruptibili, quæ tamen in entitate excedat corpus incorruptibile, sicut est anima humana. Exemplum secundi. Substantia spiritualis est genus ita perfectius respectu substantiæ corporeæ, quod nulla substantia corporea potest illud excedere, vel attingere; et genus animalis est ita perfectum, quod a nullo inanimato potest excedi. Dicimus ergo, quod intellectivum est genus perfectius volitivo simpliciter absolute, sed non simpliciter omnibus modis, et ideo ab aliquo generis volitivi potest excedi in perfectione entitativa. Et hoc sentit D. Thomas, qui dicens intellectum altiore voluntate, posuit limitationem, scilicet respectu objectorum, quæ sunt infra nos; respectu vero eorum, quæ sunt supra, voluntas est perfectior. Quando vero addit illa quæstione octuagesima secunda, prima parte, quod secundum quid voluntas est perfectior, simpliciter autem intellectus, comparat potentiam potentia habitui alterius: ipsa enim potentia simpliciter semper est perfectior voluntate, sed tamen admit-

tit aliquem habitum qui entitative sit minus perfectus quam aliquis habitus voluntatis, et ratione hujus dicitur voluntas secundum quid perfectior, non tamen habitus ipse.

XIV. Ad confirmationem dicitur, quod fides non regulat charitatem, sicut prudentia virtutes morales, quia charitas non eget regulatione, cum non consistat in medio, sed simpliciter proponit objectum charitati. Propositio autem non est ratio formalis objecti voliti, sed conditio, unde non obstante propositione limitata ut conditione, fertur charitas in ipsam bonitatem non limitatam secundum se, ut in rationem formalem, plus attacta quam cognoscens; sicut cognito aliquo effectu desidero videre clare ipsam causam, et sic plus desidero quam video.

## DISPUTATIO IX.

DE AUGMENTO CHARITATIS PHYSICO, ET MERITORIO.

## ARTICULUS I.

*De his quæ hic sunt supponenda, et disputanda.*

I. Et ea quæ in hac difficili, et controversa disputatione tractanda sunt, in ordinem redigamus, et separemus, quæ pertinent ad præsens, est advertendum quod augmentum alicujus formæ, seu additio ad duo capita revocatur, scilicet ad extensionem, et ad intensionem. Extensio sumitur in ordine ad aliquas partes,

vel subjectivas, vel objectivas, et diffusio per illas vocatur extensio. Et tunc sumitur in ordine ad partes subjectivas quando subjectum, in quo recipitur forma, non est indivisibile, sed habet partes, per quas forma illa communicatur, sicut calor extenditur per partes sui subjecti. Tunc autem extensio sumitur per ordinem ad partes objectivas, quando sumitur in ordine ad plura materialia objecta, circa quæ versatur aliqua virtus, et se habent quasi partes unius integri materialis objecti, et sic virtus quæ acquirit attingentiam ad diversa objecta materialia dicitur crescere in extensione, sicut scientia quando ab una demonstratione transit in aliam.

II. De hoc augmento non agimus hic, quia ut optime notavit S. Thomas hic quæst. xxiv, art. v, charitas non est capax hujus augmenti, quia neque habet partes subjectivas, cum ejus subjectum sit indivisibile, et nullas habeat partes, scilicet substantia spiritualis: neque potest augeri quoad partes objectivas, quia quantumcumque minima charitas ex parte habitus sufficit attingere omnia objecta materialia charitatis, quia sufficit diligere Deum super omnia, et consequenter omnia præcepta implere, sicut etiam minima fides se extendit ad omnia credibilia proposita per Ecclesiam. Et dixi ex parte habitus, quia ex parte actus bene potest charitas non extendi per unum actum ad omnia sua objecta, sed per diversos, hoc tamen non auget ipsum habitum extensive. Solum adverte D. Thomam vocare istud augmentum extensivum, augmentum per additionem in contrapositionem augmenti intensivi, quod ipse dicit non fieri per additionem. Et nomine additionis non intelligimus aliquam compositionem partium ex parte ipsius qualitatis, sed dicitur additio, quia

fit per ordinem ad aliquas partes, sive subjectivas, sive objectivas; cum quo tamen stat quod quando qualitas extenditur per partes subjecti, etiam ipsa qualitas partes habeat reales, per accidens tamen ratione partium subjecti, in quo est: quando vero virtus extenditur ad sua objecta non habet partes reales in ratione qualitatis, sed partes objectivas, ad quas non qualitate nova, sed nova applicatione se extendit. Sicut quando crescit corpus hominis, eadem forma humana ad novas partes se extendit non additione formæ, sed applicatione informandi; et similiter quando eadem potentia ad nova objecta attingenda procedit. Et sic sanctus doctor 1-2 quæst. lrv, articulo iv.

III. Secundum augmentum vocatur intensio, circa quam multa, et varia disputantur, quæ tamen omnia ad tria præcipua capita reducuntur. Primum est, quantum ad essentiam ipsius augmenti in quo consistat: secundum, quantum ad principia augmenti, quibus actibus fiat, et in subjecto ponatur: tertium, quantum ad terminum augmenti, tam ex parte ipsius formæ, an possit in infinitum intendi, quam ex parte status in via et in patria, quomodo possit crescere in uno et in alio.

IV. Quantum ad primum, essentia augmenti intensivi consistit in hoc, quod aliqua forma fiat perfectior in eodem, et circa idem, quod non omni formæ convenit, quia non omnes habent latitudinem in actualitate circa idem. In quo autem consistat ista major perfectio, et actualitas in eodem, et circa idem, an aliqua additione realitatis novæ, an aliqua applicatione, et exercitio informandi, quod de novo potest habere aliqua forma, grandis quæstio est, sed philosophica, quæ in libris de generatione tractari so-

let, et ideo a nobis omittenda, quia pro dignitate tractari non potest. Sufficiat pro explicatione difficultatum theologiarum, quæ deinceps tractandæ sunt, indicare, quod tota hujus difficultatis summa reducitur inter divinum Thomam et Scotum ad hoc quod D. Thomas, considerans intensionem non fieri per expulsionem unius formæ, et productionem alterius, ut aliqui male senserunt, qui ab omnibus exploduntur, sed per ejusdem formæ meliorationem circa idem. Hæc melioratio dicitur a D. Thoma non fieri per additionem, sed quia melius applicatur in informando, quod est fieri per majorem radicationem in subjecto. Et cogitur D. Thomas istam additionem excludere, et quia non potest intelligi additio, intelligatur distinctio eorum quæ adduntur, quod si illæ entitates distinguuntur, vel specie, vel numero; si specie, non pertinent ad eandem formam: si numero, non apparet quomodo uniantur inter se ad constituendam unam qualitatem indivisibilem, et per se unam, quia neque uniuntur ut actus et potentia, cum utraque sit forma et sit actus, neque ut partes integrantes qualitatis, quia partes integrantes sunt quantitativæ, quæ per se non inveniuntur in qualitate, præsertim spirituali; non ergo apparet quomodo uniantur ad constituendam unam qualitatem per se.

V. E contra vere Scotus, quem plures recentiores sequuntur, ponunt intensionem fieri per additionem gradus ad gradum, quasi per entitates reales partiales in quibus consurgat una forma per se, licet semper sit valde difficile explicare quomodo fiat ista unio inter multas entitates, et non fiat ad modum quantitatis, quasi partes integrantes. Et fundamentum Scoti ad id reducitur, quia per novam mutationem rea-